

Joannes Dantiscus postulatus episcopus Varmiensis, Joanni electo archiepiscopo Lundensi.

Reverendissime domine, domine et amice charissime et observandissime. Saluteam fraternique amoris commendationem. Respondi nuper vigesima octava Septembris hinc literis dominationis vestre reverendissime secunda Mayi Prage datis, paulo post acapi eas, quas secunda Septembris ex Cremnita dominatio vestra reverendissima ad me dedit, non solum amicas, verum et veteris benevolentie solita ubertate redundantes, quibus adiuncta erant in fasciculo ex Hispania ad me à Jacobo Gratiano et Isipe, ac aliis amicis data, atque dominationis vestre reverendissime longe mihi erant gratiores, que et reliquas non admodum ingratas reddiderunt, tametsi ea mihi significarent, que voluntati mee ad integrum non omnifariam responderent. Quum autem facta nequeant esse infecta, non gravate admitto, quod mutare non licet. Rescripsi itaque in adiuncto fasciculo, quem ut in Hispaniam perferri curet dominatio vestra reverendissima, oro plurimum. Postquam contractum matrimonium consummatum fuerit, sic me geram, quod commendatitiae dominationis vestre reverendissime magni momenti

menti et ponderis fuisse apud me co:
gnoscentur.

Pro novis quae ad me dominatio ve:
stra reverendissima scripsit, gratiam habeo,
et referrem libenter, si quidpiam hinc se
scientia dominationis vestrae reverendissimae
dignum offerret. Ex Anglia nuper
ad nos allatum est, regem olim illum
laudatissimum, bonis tum literis, tum etiam
am vere regis dotibus exornatum ac
perpolitum, in crudelissimam omnium
tyrannorum phalaridem mira metamorpho:
si commutatum, neque paulo ante tot cae:
dibus in sanctos et clarissimos viros com:
missis suorum posse satari sanguinem,
de quibus primos quosdam nobilitatis ante
te paucos dies, eo quod monasteriorum
sacrarumque aedium direptiones non ap:
probarent, mactari atrociter iussit, indiesque
illum magis sevientem et juventem fieri
dicunt, reginaeque gravidae magno desiderio
expectare partum, qui si masculus non
fuerit, miseram illam et a coniugio, et ex
vita fortassis excessuram. Hocine fœdus con:
iugii est, nullis ante seculis auditum, si
marem pepereris, sis uxor, sin minus con:
cubina fuisti. Verissimum est illud Cava:
calli, cui plus licet quam oportet, plus vult
quam licet. Quis tamen huius tragedie futu:
rus sit exitus, si ex praeteritis instantia et

sub:

453.
subsequentia metienda sunt, non potest esse, nisi pro Dei equitate, qua dispensat omnia, miserabilis et omnibus in exemplum formidabile posteris.

Apud nos hic sunt adhuc pacata omnia, cum vicinis nostris in religione utcumque pro temporum ratione dissimulamus, et illorum insanias commiserando toleramus. Ceterum si dominatio vestra reverendissima de concilio aeti quid, deque serenissima maiestatis caesarea et regia Romanorum rebus habuerit, maxime autem, quemadmodum et in novissimis scriptis, de Cornelio nostro Scappero, quibus modis vivat, an vescitur aura aetherea, vel ubi gentium agat, ut me certiore reddat, impense oro. Ego me etiam nunc in hoc meo episcopatu contineo, quousque ex urbe ad ecclesiam Varmiensem postulatus, confirmationem habuero, quam paulo post spero adfuturam. Utinam et dominationis vestrae reverendissime brevi audiam ad vedem se et meritis suis dignam, translationem, quam illi precor ex animo, et me fraterno amori et benevolentiae commendo. Ex castro meo Lubaviensi die decima sexta Novembris, anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo septimo.

[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page.]